

rim tamen temperare mihi non potui, quin orationi Tuae, et si
nihil in ea grauiter ac turpiter peccatum deprehendi, limam
paullo diligentius admouerem, adeo ut multis in locis Tuas
sententias meis omnino verbis enunciauerim. Quod facere ea
in primis de causa mihi necessarium videbatur, quia Tu libro-
rum a germanis medicis latine scriptorum lectione, plurima Tibi
genera loquendi peregrinam et quandam germanicam latinita-
tem redolentia attriueras, quae verebar ut ciues Tui, a qui-
bus potissimum legi velles et probari, facile intelligerent.

Caeterum verendum mihi erat, ne dum vellem in Te lau-
dando non iniustus esse, aliis viderer esse immodicus. Tanta
enim per hos sex fere annos inter nos versatus es cum assidui-
tate ac diligentia, ut nullum fere genus esset bonarum littera-
rum vel proprius, vel remotius ad medicinam spectantium, quod
non aude a Te expeteretur, expetitum vero non tractaretur
cum quadam animi contentione. Qua etiam discendi auditate
Tua factum est, ut ab ipsius medicinae solidiore studio nec
aliorum leuitas Te auocare, nec rei magnitudo atque diffi-
citas reiicere posset. Vale resque Tuas age feliciter.

Ser. A. D. IV. April. cl*l*oc*l*xxx.